

SCRIPTVM PER PHILIPPVM MEN-
zelium Sandsehensem, in gratiam, virtute ac doctrina conspi-
CVORVM IVVENVM, IOACHIMI FABRI, IOANNIS CLO-
stermair, Ioannis Ramspeckh, Ioannis Lang, Vuolphgangi Prugberger, Mar-
tini Zenckel, Christophori Streitel, Georgij Pogner, Cum in nu-
merum Magistrorum in Florentissima Ingolstadiensi
Academia cooptarentur.



Rude donandi Iuuenes, Heliconis alumni,
Militiae Phœbi quos consecrare Iuuentam,
Ingeniumq; sagax dignis impendere curis
Iuuit, & ignotas uulgo disquirere causas:
Cernitis ut uobis Clarias subeuntibus arces
Musarum occurrat gratanti exercitus ore?
Prætendantq; sacras Lauri de fronde coronas?
Hæc hæc uictores pugnati præmia belli
Expectata diu, multumq; cupita refertis.
Nempe etiam Phœbi cultoribus, arbore Phœbi
Gaudendum fuit, & dominum profitentia Phœbum
Serta, coronandis par est adhibere capillis.
Scilicet ut gratum Peneia Laurus odorem
Exhalat: sed triste sapit, baccisq; latentem
Fundit amaritatem: folijsq; perennibus usq;
Inconuasa manet, nec uento labitur ullo:
Haud aliter, Sophie quisquis perculsus amore,
Pegasidum spectare choros, rerumq; beata
Cognitione frui gestit, Dijs proximus ipsis,
Difficiles aditus, & claustra refringere debet,
Quæ penè in primis iter buc facientibus obstant:
Nec cœptis adhibere modum, nisi quicquid amari est
Hauserit, & uictor residens in uertice summo,
Nectareis possit satiare liquoribus ora.
Iam tum gratus odor famæ se plurimus offert,
Præcluditq; fores Letho, fatumq; propellit,
Ac uel ab exequijs præstat durable nomen.
O igitur fausti Iuuenes quibus æquus Ac pollo
Annuit hoc decoris, Parnasidaq; annuit arcem:
Proq; tot exhaustis non æquo pondere curis
Hæc uobis contrà meritißima dona rependit,
Ac eternas Lauros, & fine carentia serta.
Quid multis uestros opus est cantare labores?
Et uitam Ac onidum studijs Phœboq; dicatam?
Quum niueo Patrum non refragante lapillo
Liber ad hos pateat uobis ascensus honores,
Quos neq; desidia, nec inertis munere somni,
Sed multo sudore Pater diuendit Ac pollo.
Quid tua, quæ uulgi passim uersatur in ore,
CLOSTERMÆRE, sacrâ operata industria
An non à puero metam sudauit ad istam? Musis?
In libris nocturnus eras, pariterq; diurnus.

Hæc tibi cura breues faciebat sedula somnos:
Atq; putinam uena mihi liberiore uacaret
Per laudes nunc ire tuas, campoq; patenti
Uberius fari, maiora sonante Camœna:
Efficerem certè (si quid mea carmina possent)
Inuidane premeret tantas obliuio dotes:
Testarerq; meum, quo sum tibi iunctus, amorem.
Te quoq; si tantum mea Pieris oris haberet,
Te foret æternis mihi fas intexere chartis,
Optime, terq; trium cultor IOACHIME Dearum,
Qui uirides studijs insignibus excolis annos,
Ac bene fœcundam, Naturæ munere, mentem,
Arte iuuas. Quando Natura politur ab arte,
Sed nec in obscuro tua abdita Virtus clauditur,
Et nil laudis eget, quo nemo celebrior alter.
Non reliquos etiam, quibus hunc persoluit honorem
Exoptata dies, tacitos transcendere possem:
Ni circumscriptum spatijs me tempus iniquis
Vertat ab incœpto, mandetq; silentia Musis.
Vos igitur quorum sors annuit omnia uotis,
Quosq; Magistrorum lux ista salutat honore,
Cœlestes placate Deos, gratesq; referte,
Qui durum per iter, uepribusq; rigentia saxa,
Aonias in montes duxere fauentibus auris:
Vosq; tot insidias inter, tot tela, tot hostes,
(Quæ molles animos Musarum à sedibus arcent)
Incolumes rerum ad fastigia tanta reseruant.
Tu quoq; Ac pollineæ pubes studioſa palæstræ
Partes disce tuas, & ad hos modò lumina transfer,
Quos mores Musis digni, atq; peritia rerum
His auxere bonis: horum uestigia calca.
Excute desidiam, qua nil mens inchoat altum,
Nil tentat sublime, nihil memorabile præstat.
Longa uia est, spinisq; horrens, atq; aspera tritu
Huc ubi, Pieridum septus stipante corona,
Accinit aurata pollens testudine Phœbus.
Hanc qui fugit iners, miserandum transiget æuum
Turpis inopsq; simul: sed qui constanter obiuit,
Dijs pariter charus, patrijsq; salutifer oris
Post cineres, funisq; sibi indelebile nomen
Quæsierit, rebusq; potens florebit opimis.

DEO LAVS.

INGOLSTADII EXCVDEBANT ALEXANDER ET SAMVEL
Vueissenhornij fratres. Anno M.D.LXVI. Mense Ianuar.

153

CABINET CRAFTSMAN

СИБИРЬ ВЕЧНАЯ

De quacumque locis conuenientibus. Amissio sibi
est.

It is now known that the best way to control the disease is to prevent the spread of the virus by avoiding close contact with infected individuals.

INCORPORATIONE VITAE. VIDEAR Vnde puer.